



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Chronologia Monasteriorum Germaniæ Præcipuorum Ac Maxime Illustrium**

**Brusch, Kaspar**

**Nürnberg, 1682**

Ursinium vel (ut nunc corrupte dicitur) Irsingum, ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38166**

*Hic cubat egregie doctus Laurentius heros,*

*Qui legum Doctor Velocianus erat.*

*Corpus telluri, ast animam commisit Olympo:*

*Fama decens terris non peritura manet.*

Ereskir-  
cbium.

Paululum infra hoc cœnobium est Ereskirchium, pagus S. P. Q. Buchornensis, medio ferè itinere inter Buchornam & longum Argovium ad Schuffium amnem illic in lacum exeuntem situm. Ejus pagi templum primum omnium dicitur esse, quod ad lacum Acronium est conditum, unde pago nomen inditum esse, incolæ affirmant.

Kauffburn.

**URSINIUM** vel (ut nunc corrupte dicitur) Irisingum, olim castrum, eo ipso loco conditum, ubi hodie S. Stephani templum in editiore colle conspicitur, nunc vero monasterium ordinis ac instituti Benedictini amplissimum ac pulcherrimum, paululum infra Kauffburnium oppidum imperiale non procul a Wertachio amne in mediis densissimisq; nemoribus situm, fundatum & locupletatum est anno Christi 1182. regnante Friderico Barbarossa, Suevorum Duce & prægloriosissimo Imperatore, ab Henrico Marchione de Rumsperg & ejus filii, Godefrido ac Bertholdo, & Irmelgarde filia, in media ecclesia ibi sepultis cum tali inscriptione.

*Hic generosorum feliciter ossa quiescunt*

*A Rumsperg Comitum Bertholdi & Godfederici,*

*Irmelgarde simul dilecta cumq; sorore.*

*Hujus cœnobii qui primi rite fuerunt,*

*Authores vera commoti religionis.*

*Ergo Deo vivant æterna pace fruentes.*

Henricus fundator, profectus cum Friderico Barbarossa ad recuperandam terram sanctam, obiit Neapoli anno Christi 1188. qui exceperat ex Udilhilde conjugè Godefridum primum filium, qui mortuus est Augustæ sub cura medicorum, & reventus inde ad Uttenburram ibi honorifice est sepultus; postea ex Uttenburra ad Ursinense monasterium relatus una cum fratre

Ber-

Bertholdo honorifico Mausoleo conditus est, sub Abbate ejus loci 23. Paulo Neccharo. Secundum vero filium Bertholdum, illustrissimum totius Sueviæ speculum, qui obiit in quodam conflictu prope Rhenum, iturus cum Othone excommunicato Imp. in Saxoniam. Irmelgardin item filiam, quæ nupsit Baroni cuidam de Ultimis, genuitq; Udalicum de Ultimis, magnum imprimis Urfinensis cœnobii benefactorem, habitantem in Adelburgo, Athesinæ regionis castro. Est in eodem monasterio celebris sepultura nobilium heroum à Bentzenaw, Joannis patris & Wernheri filii, qui vixerunt annum Christi circiter 1440. Item Joannis, Equitis aurati, qui obiit anno 1515. & Georgii à Bentzenaw, qui obiit anno 1535. reliquitq; filium Georgium Symbertum, eruditæ antiquitatis & antiquæ eruditionis amantissimum hominem, 18. liberorum parentem. Abbatum hujus loci talis extat catalogus.

Abb. Catalogus.

*Wernherus* primus fuit monasterii Urfinensis rector, non quidem Abbas, sed tantum Prior, ex Isnenfi cœnobio evocatus annum Christi circiter 1184. Is fretus auxilio Henrici Marchionis habitationem fratrum, eremum ibi in Ybergenfi nemore densissimo colentium, è silvis transtulit in locum amœniorem, in montem videlicet Urfinum, idque factum est anno Christi 1185. Cumq; ibi & scholam & ecclesiam constituisset, ad monasterium suum Isnense, constituto prius loci Abbate & gubernatore, reversus est, vir venerabilis & admiranda vitæ innocentia & sanctitate præditus.

1. *Cuno* primus Abbas Urfini montis, ab Henrico fundatore, ac Domino Wernhero Priore, ex Utenburenfi monasterio evocatus, constituitur anno Christi 1185. Is admonitus à Mengoso fratre sancto & sapientissimo transtulit sedem ex monte in pedem & planitiem adjacentem monti, idque in honorem Beatæ virginis, & sumtibus Henrici de Rumsperg fundatoris & Godfredici filii, cœpitq; ædificare habitationem paulo splendidiorem: antequàm tamen ista absolveretur, obiit Cuno Abbas. Annus autem & gubernationis, & quando decesserit ex hac vita, ignotum est.

2. Ru-

2. *Rudolphus* secundus, Abbas ex Ochsenhusio ascitus, vir eloquens & doctus. Is ædificans sacellum S. Nicolai, quod Paradisum vocant, sepelivit in eo & Wernherum Priorem primumq; gubernatorem, & Chunoem Abbatem. Is locus postea etiam fratrum monasterii & nobilium laicorum sepulturae destinatus est, & primus vir nobilis ibi sepultus Waltherus à Bayswil fuisse legitur. Hoc sacellum consecravit Udalfridus, Episcopus Augustanus, anno Christi 1188. Resignata tandem anno Christi 1223. abbatiae gubernatione, Rudolphus senio confectus ad cellam suam Ochsenhusianam rediit, & ibi post hebdomadas septem in Christo obiit. Invenitur hic Geboldus, Abbas Urfinensis, testis cujusdam donationis in Chronicis & diplomatibus Cæsariensis monasterii, anno Christi 1220. qui coadjutor fortassis Rudolphi fuit: catalogi enim Urfinensis eum non habent.

4. *Albertus*, Abbas ex Utenburra desumptus, à Gotfrido, Marchione de Rumpersperg constituitur anno Christi 1223. tempore Honorii Papæ, & Friderici secundi Imper. vir bonæ famæ, castus, fidelis, prudens & de monasterio hoc optime meritus, cui præfuit annis quinq;. Obiit anno Christi 1228. Sepelitur in medio sacello S. Nicolai & in tumulo Cunonis, cui inscripti sunt hi sequentes versus. Extrema circumferentia tumuli habet hos.

*Præsenti busto sunt tres mares tumulati  
Clerici, merito qui dudum sunt sociati.*

In ipsa superficie tumuli sunt tres circuli, quorum superior habet hunc versum:

*Albertus quartus Abbas hic condidit artus.*

Medius hunc:

*In media fossa Wernheri corporis ossa.*

Inferior talem:

*Est Abbas primus, Chuno dictus, jacet inus.*

5. *Conradus* eligitur anno Christi 1228. Præfuit annis 39. tempore Gregorii IX. à quo Pontifice plurima impetravit suo monasterio utilia. Obiit anno Christi 1267.

6. Udalfridus

6. *Udalricus* præficitur anno Christi 1267. Sub hoc vidua quædam nobilis & opulenta Domina Gertrudis post obitum mariti sui, *Henrici de Bickenriedt*, plurima contulit ad monasterium hujus amplificationem, quæ in eodem monasterio humata est annum Christi circiter 1269.

7. *Henricus*, de quo nihil aliud invenitur, quam quod magna sub eo fuerit charistia & annonæ difficultas.

8. *Hartmannus* præfuit annis 14. vir strenuus & fortunatus, & amator divini cultus maximus. Hujus temporibus *Conradus de Ramschwag*, Advocatus hujus monasterii fidelis, ecclesiam *Ingenricidensem* cum jure patronatus, & totam illam Advocatiam cum omnibus ad eam pertinentibus redditibus tradidit *Ursinensi monasterio* in liberam dotem. Obiit autem Abbas infirmitate hectica, quam ex curis contraxerat, eo ipso anno, quo gessit Imperator *Ludovicus Bavarus* bellum contra *Fridericum Austriacum*, & omnia ista loca cædibus ac direptionibus essent infestissima.

9. *Henricus* secundus, Prior antea cœnobii Augustani ad *S. Ulricum*, constituitur Abbas *Ursinensis* per *Fridericum*, Episcopum Augustanum. Præfuit annis septem, & fit Abbas postea *Faucensis monasterii*, quod alioqui *Fussense* dicitur & in *Alpium* faucibus situm est.

10. *Conradus* secundus, natus ex pago *Horbeltshofen* *Constantiensis* diœceseos, vir humilis & simplicis vitæ, sed ingenii subtilissimi. Erat aurifaber, sculptor & pictor egregius, ut adhuc in codicibus ac aliis clinodiis aliquibus videre est ejus subtile ingenium & ingeniosas manus. Is ambitum monasterii primus lapideum fieri & concamerari curavit anno Christi 1334. Fuit bonus œconomus, & locupletavit monasterium, quod fuerat jam propter bella, inter *Ludovicum* & *Fridericum Imperii* competitors gesta, ad extremam penè pauperiem redactum.

11. *Suiggerus* constituitur contra voluntatē *Joannis à Ramschwag* Advocati, nec diu cœnobio præfuit, sed mox expiravit. Quando autem obierit, id ignoratur.

12. *Henricus* tertius, cognomento *Zerrer*, præfuit 16. tantum hebdomadis & moritur. E e e e

13. *Udal-*

13. *Udalricus de Altenstadio*, villici filius. Is multa est perpeffus sub Joanne de Ramschwag Advocato anno Christi 1345. qui tamen poenitentiam tandem agens multa bona contulit ad monasterium.

14. *Henricus* quartus, Udalrici antecessoris patruus, antea custos ecclesiæ, homo simplex, sed bonus gubernator, qui monasterio non præfuit tantum, sed & plurimum profuit.

15. *Joannes Albinus*, Utenburensis, fraternitatem instituit & fecit cum conventu S. Magni, qui est in faucibus Alpium, anno Christi 1366. Præfuit fideliter annis quinque.

16. *Petrus*, nobilis de Baisweil, contra voluntatem Joannis de Ramschwag per Gerwicum de Baiswyl intruditur. Fuit infelix & infortunatus gubernator, & ita prodigus, ut & Croesi divitias absumsisset. Sub eo reditus monasterii de die in diem minui ac prædia divendi coeperunt, ita ut tandem ad tantam redactum fuerit inopiam ac paupertatem, ut fratres omnes à cenobio aufugerent, & varie his dispersis, Abbas ipse etiam in parochiam Pforcensem secedere cogere, uno unico fratre manente apud Ursinum, qui hortos & vineas diligenter plantabat, & agriculturæ præerat, ei nomen erat Udalrico Franco. Abbate igitur exauthorato, postea Burcardus de Ellerbach, Episcopus Augustanus, gubernationem cenobii commendavit & tradidit forori suæ, Dominae Annæ ab Ellerbach, in castro Kemnat tunc degenti. Hæc, cum aliquamdiu imperasset, non quidem, ut augerentur, sed ut indies decreverent bona monasterii, mulier ad se tandem reversa & cogitans, se injuste dilapidare hæc bona Deo dicata, nec bono titulo possidere domum Deo sacratam, vocavit unum de dispersis fratribus, Conradum videlicet Haufanum, virum nobilem, prudentem ac humilem, huic totam Abbatiam gubernandam commisit, qui invitatus tantam curam suscepit, paratior futurus, si locuples fuisset monasterium ac opulentum. Interim Petrus Abbas depositus moritur & in loco capitulari sub vimineis cratibus sepelitur.

17. *Conradus Haufanus*, homo nobili genere natus, ad restituendum & instaurandum collapsum monasterium egregie

idoneus (erat enim tenax & parcissimus, imo plus quam fordidus, qui ipse quoque ruri laborare & decimas colligere solebat, qua sola virtute cœnobium pristinae dignitati præclare restituit, Divi Servatii, ut vulgo dicitur, egregius cultor, quem idcirco merito & recte jovit Vincentius) constituitur anno Christi 1399. Præfuit laudabiliter 23. annis, tempore Conciliorum Constantiensis & Basiliensis. Obiit autem anno Christi 1422. Sepelitur in sacello S. Nicolai, mox in ingressu ad latus dextrum. Is fratres septem ad monasterium revocavit & eos egregie aluit. Cumq; suo tempore periret monasterium universum incendio, excepta ecclesia & annexo choro, eximie non solum id instauravit, sed & turrim ac multa alia nova ædificia prioribus addidit ac de novo exædificavit. Habetur pro secundo hujus monastici loci fundatore.

Wer hätte  
der hat.

18. *Henricus quintus, Esseler* dictus, Campidonensis, vir providus, devotus & religiosissimus ceremoniarum observator, egregius etiam amplificator cœnobii optimusq; œconomus, eligitur Canonice anno Christi 1422. Invenit thesaurum absconditum antecessoris sui immensum, quo adjutus egregie exornavit Urfinense cœnobium, in quo illustrando & locupletando dicitur infumisse circiter 20. millia aureorum. Emit is ipse decem florenorum millibus egregiam villam Baiswil, nobilium à Baiswil olim sedem ac domicilium. Celebratur pro tertio fundatore, propter immensa beneficia monasterio præstita. Obiit senex & decrepitus anno Christi 1459. cum præfuisset annis 37.

Baiswil.

19. *Petrus Alberti*, ex villa Ortringen natus, ex Elchingo vero accitus, vir religiosus & mediocriter doctus, eligitur anno Christi 1459. Præfuit annis 15. & propter plurimas infirmitates & non adeo prosperam valetudinem resignat Abbatiam fratribus anno Christi 1474. ac, etsi mox alius eligeretur, tamen iste Petrus adhuc mansit in Abbatia per biennium, & obiit postea anno Christi 1476. plenus dierum & paralyti tactus: sepultus in ambitu ad latus ecclesie contiguum. Sanxit fraternitatem cum monasterio Ebensperg anno 1463. cum cœnobio vero Steingaden año Christi 1468. Eas fraternitates coluit summa animi dexterritate ac fide.

Eben-  
sperg.  
Steinga-  
den, cœ-  
nob.

Eeee 2

20. Mat-

20. *Matthias Steinbruckher* eligitur Canonice anno Christi 1475. Obiit anno Christi 1490. cum præfuiſſet annis quindecim: decessit autem Augustæ sub cura medicorum, & reuectus Urſin- gum in Basilica sepelitur ad plagam meridionalem, juxta aram Rosarii, quam eodem anno in honorem Beatæ Virginis idem Abbas erexerat. Sub hoc Abbate coepit anno Christi 1487. fe- dus Suevicum. Sub hoc ipso parochialis ecclesia in Baisvivilin- corporata est cœnobio Urſinenſi, quod impetravit à Pont. Max. Gaſpar Seuboldus, ter eo nomine Romam ablegatus.

Fedus  
Suevi-  
cum.

21. *Othomarus*, Campidonensis, victoris cujusdam filius, eligitur anno Christi 1490. Præfuit per decennium & aliquot menses. Obiit anno Christi 1501. Sub hoc Abbate anno Chri- ſti 1491. orta est seditio horribilis, confurgentibus in suos magi- stratus omnibus Campidonensis Abbatia totiusque Algovia agricolis, quorum quinque millia convenerunt ad Lubafum a- mnem: sed ea seditio citra multum sanguinem à Sueviæ confe- deratis pacata est.

Agricolæ  
ſeditioſi.

22. *Petrus Fendius*, Campidonensis, eligitur anno Christi 1502. Præfuit annis 30. mensibus decem. Obiit anno Christi 1533. Ab hoc Abbate, œconomio optimo ac gubernatore fi- deliſſimo, totum monasterium, excepta ecclesia, de novo re- ædificatum & exornatum est ſpacio 21. annorum, ab anno vi- delicet ſecundo ad annum usque 23. Cumque jam per unum annum post reædificationem feliciter absolutam quietus vixi- ſet, orta est in univerſa Germania superiori nova & incompa- rabilis rusticorum ſeditio, in qua anno Christi 1525. Urſinenſe monasterium iterum miſere vaſtatum & incenſum est, ſed ta- men poſtea opera ejuſdem Abbatis egregie reſtauratum, cui, quæ decrant adhuc, ab inſequenti Abbate Paulo fideliter ſunt adjecta.

Rustico-  
rum ſeditio.

23. *Paulus Neccharus*, & ipſe patria Campidonensis, vir gravis, doctus & liberalis, ſapientiæ cœleſtis diligentiffimus in- quiſitor, eruditionisque omnis politoris longe ſtudioſiffimus, eligitur canonice 24. Septembrium, anni à nato Chriſto 1533. Præfuit feliciter annis quindecim. Obiit 21. Martii anno 1549.

Is ab antecessore suo restauratum monasterium post seditionem rusticam egregie & ædificiis pulcherrimis & insigni Bibliotheca auxit & illustravit, hoc aliquando in mea præsentia afferens, *monachum sine libris & librorum studiosa inquisitione ac lectione eundem esse, qui miles esset sine gladio.* Hoc Abbate in gubernatione seu ad clavum Abbatiae sedente, spoliatum est monasterium Ursinense anno Christi 1446. à Smackaldici federis affeclis, in Carolum V. Imperatorem suum tumultuantibus, qui tamen rapinis contenti nihil ibi librorum lacera- runt, nihil ædium incenderunt, nihil rerum & ornamentorum confregerunt, rusticis in hoc aliquanto modestiores. Huic tale à me positum est epitaphion, petente id ejus suc- cessore:

*Hic situs est Paulus, cognomine Neccarus, Abbas  
Utilis huic domui per tria lustra sacræ.*

*Qui quod vastarant injectis ignibus olim  
Agricolæ mota seditione viri,*

*Edreparavit & instauravit pulchrius omne  
Omnipotentis ope, consiliisq; suis.*

*Si qualis fuerit, quæris? Sic istud habeto,  
Doctus erat, pius & religiosus homo.*

*Authorum lector veterum studiosus amansq;  
Pauperie pressis portus & auræ viri.*

*Illius in Christi gremio mens inchoata viri,  
Ridet & hæc mundi gaudia vana leviss.*

In hujus Abbatis gratiam de monasterii hujus origine & primaria fundatione tale aliquando Idyllion heroicum à me scriptum est:

*Cæsare sub Friderico, cui sua nobile nomen  
Barba dedit, fuit Hybergenæ Henricus eremi  
Incola, præclarus sanctæ pietatis amator.  
Ille pijs precibus Superos mulcebat, honestam  
Interea & castam vitam omni tempore degens.*

Et

Et quoniam solitarius est locus aptior illis,  
 Qui Superum mentes arcanaq; dogmata quærunt;  
 Ille sibi in silvis inter spelæa ferarum  
 Condidit exigua lignis è vilibus ædem,  
 Ut seruire Deo tali in solitudine posset  
 Commodius, procul à mundi vitisq; malisq;.

Ilius at vulgo cum conuersatio sacra  
 Innotesceret, accessit Conradus ab ipsis,  
 Ut se jungeret huic homini tam religioso,  
 Admonitus Superis per somnum altamq; quietem.  
 Militia nam clarus, at alto è vulnere tardus  
 Egrotusq;, ita vaticinantis numina lingue  
 Audierat, sua tum rediturum in corpora robur  
 Et veteres vires, si se conjungeret isti  
 Relligione Deorum illustri & numine fratri.  
 Mox igitur socium sese fratremq; fidelem  
 Tradidit Henrico, vita non inferiorem  
 Dexteritate & virtutum splendente nitore.  
 Cumq; ita conuersarentur concordibus isti  
 Pectoribus, colerentq; Deum non deside vita  
 Per menses aliquot (quid non exempla monerent?)  
 Tertius ecce accessit ad hos Mengosus. Is ultro  
 Adueniens, secum adduxit quoq; discipulorum,  
 Et pietatem & virtutes discuntium & artes  
 Ingenuas cætum haud mediocrem. Sic schola nata  
 Est primum, in qua florebat sapientia Christi  
 Et verustimor ille Dei, sapientia summa,  
 Quæ nos Dis facit esse pares superog; Tonanti.  
 Verum habitabat in his Henricus Marchio terris,  
 Marchio de Rumsberg, pietatis & artis amator,  
 Musarumq; & relligionis & omnis honesti.  
 Ille probans studia & cætum hunc, dedit arva & sagellos,  
 Quos colerent atq; exercerent relligiosi,  
 Atque piis studiis summa cum laude vacantes,  
 Atque informantes juvenilia pectora fratres.

Sic nunquam Deus obliuiscitur ipse suorum,  
 Sed memor excitat & populos, Regesq; Ducesq;  
 Qui conferre Dei debent alimenta ministris.  
 Et quia quotidie numerus jam cresceret horum,  
 Qui pietatis erant vera & virtutis amantes,  
 Tradidit omne nemus conjunctis fratribus, ipse  
 Marchio de Rumsberg, Henricus, nobilis heros,  
 Ut virtute, ita religione ad sidera notus,  
 Sidera ad usq;, quibus nunc insidet ipse Deorum  
 Spectator, super & vel consiliarius aule.  
 Et quoniam domus esse nequit sine præsidente Rege,  
 Vel duce, qui reliquis (ubi forte opus) imperet atq;  
 Injiciat frenos vel lascivire volenti,  
 Aut cupienti à vi vendi discedere norma,  
 Evocat Isnensi Werinberum Marchio ab urbe,  
 Fratribus & discipulis atq; docentibus illic  
 Præsicit hunc, quem mox aliis jubet esse parentem.  
 Scilicet hæc ita sunt illo ipso tempore gesta,  
 Quo sibi commissi primus Fridericus habenas  
 Imperii cepit, nati post tempora Christi,  
 Cum numerarentur mille & centesimus annus,  
 Insuper & bis quadragesimus atque secundus.  
 Omnibus & quoniam in silvis & montibus urfi  
 Errabant, locus est Ulforum nomine dictus.  
 Hunc unus Prior, aut Abbates religiosi  
 Viginti duo rexerunt ad tempora nostra  
 Usq;, periclorum & formidinis undiq; plena.  
 Isti præsident illustri domuiq; locoq;  
 Hac ætate Abbas pius, ingeniosus & omni  
 Doctrina insignis, Paulus, cognomine prisco  
 Neccharus, ille olim imperiali natus in urbe,  
 Donato à Campo quam dicunt nomen habere.  
 Pegasidum is didicit mysteria cuncta sororum.  
 Hunc sacrosancto tu cum lare, Christe Redemptor.

An. 1182.

Campi-  
doni.

Quis-

*Quisquis hic habitare solet pietatis amore,  
Propitius tege, & in placida serua, obsecro, pace.*

24. *Sebastianus Stegerus*, patria Ravenspurgius, vir literis & humanitate clarus, eligitur ex œconomo in Abbatem Urfinensem ipsa die S. Benedicti anno Domini 1549. Is hoc adhuc currente Jubileo unà cum Thoma Hoffmanno, docto ejusdem loci Priore, præclaris ornamentis cœnobium suum illustrat, undique adjiciens versus, qui posteritati etiam aliquando loqui & eam de horum temporum rebus certiorum facere possint. Inscrisit autem horreo recens constructo tale meum epigramma:

*Hæc nova & apta sibi sic horrea condidit Abbas  
Sebastianus impiger,  
Ravenspurgensi prognatus in urbe Stegerus,  
Amans Dei atque Virginis,  
Quæ Christum nobis sacra gesta vit in alvo,  
Vitæ datorem perpetis.*

Sedilibus chori tale inscribi fecit schediasma.

*Ista sedilia, quæ cernis, studiose Viator,  
Colore picta sic bono,  
Paulus Neccharius, excimie venerabilis Abbas,  
Faciebat in templi decus.  
Quod Paulus vero incepit, mox finiit Abbas  
Sebastianus inclytus,  
Qui Paulo Abbati successit tertius anno,  
Quo Paulus occubuit senex.*

*Partis  
monstro-  
sus.*

Sub ejus gubernatione enixa est anno Domini 1550. tertia Augusti Walburgis quædam rustica femina, fabri ferrarii conjunx, in ejusdem Abbatia pagus Riedensi duas puellas, formosas quidem, at mirabili Dei judicio, corporibus concretas rectisque brachiis invicem sese complectentes, ex difficili vero partu interemtas. De quibus tale lusi eligidion.

De

## De Prodigis Annorum 1549. &amp; 1550.

## Elegia.

**E** Versas Solymas Romano à Cesare signa  
 Præcessere olim multa, jubente Deo.  
 Namq; ollas ipsi ar dentes videre Prophetæ,  
 Arsit in medio sepe Cometa polo.  
 Sic concurrentes acies toto æthere visæ,  
 Auditus quarum dicitur esse fragor.  
 Quin & sanguinibus stagnantes sepe paludes  
 Viderunt Solymi (turba scelestæ) viri.  
 Prodigis quibus admoniti, parere minantis  
 Debuerant monitis iussibus atq; Dei.  
 Sed quoniam hæc paucos terriclamta moriebant,  
 Venit iusta Dei vindicis ira statim.  
 Ne vobis quoq; fiat idem, pereamus & ipsi,  
 Ut Solymi miseris interiere modis,  
 Ex oculis procul excutiamus, quaeso, veternum,  
 Qui non tantum oculos, sed quoq; corda tenet.  
 Surgamus tandemq; à peccatisq; maliq;  
 Torpore haud segnes atq; sopore gravi.  
 Namq; & nos multis hac tempestate monemur  
 Prodigis, ut nos excitet ipse Deus,  
 Quo vitæ melioris eamus in integritatem,  
 Christi adum qualem dogmata vera probant.

1. Hinc plures vidit Soles lutulenta Rheisa,  
 Qua Nordlingiaci mœnia parte jacent.
2. Hinc concursantes peditumq; equitumq; phalanges  
 Vidit Brunsvigum, & Cæsaris ora pii,  
 Inq; crucis ligno pendentem hunc scilicet ipsum,  
 Mortis pro nobis qui fera tela tulit.
3. Helvetiis quoq; pugnantes coière Leones,  
 Et Burgundionum signa, micante polo.  
 Alter & alterius superans capita alta Leonis  
 Vidit ea ante pedes victa jacere suos.

Ffff

4. In florem pira sunt excreta in Francide terra,  
Hic ubi Coburgi mœnia parva jacent.
- Linda. 5. Quadrupedem dedit Acronius lacus ipse columbam  
Non procul à muris, urbs Philyria, tuis.
6. Infantem mater gesta vit in urbe Vienna  
Per lustrum unius tempora longa gravis.  
Semiputridus ille est tandem excisus ab ipsa,  
Quæ curata isto tempore vivit adhuc.
7. Quinetiam sanguis pluviarum decidit instar  
In vastis regnis, terra Bohema, tuis.
8. Frumentis cœlum pluere ipsa Carinthia vidit,  
Atq; Thoringiacis Sala propinquis agris.
9. Illic sanguinibus multoq; cruore fluentes  
Mirata est fontes rustica turba suos.
10. Et, quod inauditum seclis est omnibus, intra  
Excelsos muros, Effenolinga, tuos  
Decubuit vultuq; oculisq; decora virago,  
Quam mira gravidam finxerat arte parens,  
Talibus ut technis è vulgo emungeret aurum,  
Quod vanæ nunquam est non no vitatis amans.  
Istius è laterum latebris prodisse colubri  
Sunt dicti, hos omnes matre struente dolos.  
Hæc est credita dirum utero gestare Draconem,  
Qui totas urbes verteret atq; domos.  
Nuper at inventum est, quod toti illuserit orbi  
Femina, forte Dei non sine consilio.
11. Sic ad Kauffburnum vitrei prope flumina Vinda,  
Unde est Vindelicus nomen adeptus ager,  
Infantes peperit geminos, utroq; puellas  
Corpore connexas Testylis una duas,  
Formosas equidem vultu membrisq; tenellas,  
Sed quas non vitas edidit ægra parens.  
His monstris dubio procul ostenditq; monetq;  
Ira arcana suæ non procul esse Deus,

*Nec procul esse diem, venit qui extremus ab orbe  
 Aethereo, nos ad iudicis ora vocans,  
 Iudicis aeterni, qui conspicit omnia, quemq;  
 Nil latet: ipsa etiam qui tua corda videt.  
 Hunc nos oremus non fictis mentibus unum,  
 Propitius nostris parcat ut ipse malis,  
 Omnibus ut clemens peccata admissa remittat,  
 Nostrorum & scelerum deleat omne nefas.  
 Quasq; sumus meriti poenas, ut mitiget illas,  
 Nec Iudex, mitis sed pater esse velit.  
 Nos vero in melius nos convertamus & omne  
 Cessamus facere id, quod vetat ipse Deus.  
 Haec faciamus & ex animo faciamus, honestas  
 Anobis fieri quae cupit atq; Deus.  
 Sic miserebitur aeternus, deponet & iram  
 Conceptam: atq; iterum fiet ut ante pater;  
 Qui dabit è superis tranquillos sedibus annos,  
 Et dabit omne bonum, terra quod omnis habet.*

URSPERGUM, cœnobium Præmonstratenſis inſtituti ma-  
 gnificum, ad Mindulam fluvium in Auguſtana dioceſi me-  
 dio fere itinere inter Auguſtam Vindelicorum & Ulmam Sueviæ  
 metropolin ſitum, fundatum & extructum eſt anno Domini  
 1125. à Wernhero, Comite de Schvvabeck & Baltzhaufen, cu-  
 jus nominis caſtrum Schvvabegk dictum duobus milliaribus à  
 Mindelheimio, civitate Suevica, abeſt, hodie prorfus vaſtum &  
 inhabitabile, Comitum à Schvvabeck (qui ex regia ſtirpe Polo-  
 norum & Ungarorum nati feruntur) antiqua ſedes. Oppigno-  
 ratum fuit hoc cœnobium anno Chriſti 1200. Bertholdo à Neif-  
 ſen, ſed monachi ſe tandem redemerunt à Neiffenſium tyranni-  
 de centum auri marcis, ut teſtatur Abbas Urſpergenſis, celebriſ  
 chronographus. Fundatorum & benefactorum talis genealo-  
 gia in cœnobii monumentis extat: